ORATIO DE SUBROGANDO SUMMO PONTIFICE AD EMIN.MOS AC REU. S.R.E. CARDINALES...

Giacomo Rospigliosi, Bartolomeo : da#Roma


IMPRIMATVR,

Si videbitur Reuerendissimo P, Mag.Sac. Pal. Apost.

Marcellus Anania Episcopus Sutrinus, & Nepesinus V.G,

IMPRIMATVR,

Fr.Raimundus Capisuccus Ord. Præd. Sac, Apost, Palatij Magister.



SANCTISSIMO PATRI
ALEXANDRO VII.
PONT. OPT. MAX.


IACOBVS ROSPIGLIOSIVS F.





RATIONEM à me in Pontificijs Comitijs habitam SANCTITATIS TVAE *Pedibus obſequentiſsimè ſiſto*, BEATISSIME PATER. *Declinaret illa humilitatis ſuæ conſcia ſublimiſſimos oculos, quibus vnica congruunt ſapientiæ cæleſtis oracula, characteribus impreſſa Diuinitatis. In Auguſtiſsimo tamen magnitudinis Apoſtolicæ faſtigio ingenitam humanitatem retines, vt inter omnes dignitate, ſic in omnes facilitate, ter Optimus, terque Maximus. Malus Orator, quam dicendo fælicitatem haud poteram, non malus*

Vates præsagiendo quæsiui. In proposito Pontificiæ Virtutis exemplo, Tua, sine nomine, Purpuratis Patribus exponens Merita, Tuis Meritis concordissimè suffragatura Purpuratorum Patrum iudicia diuinabam. Citra omnem Modestiæ Tuæ iniuriam agnosces (non secus tamen, ac solem ex umbra) optimam Virtutum Tuarum imaginem in Orationem meam stylo transfusam, quemadmodum nunc illā intuemur, ac fruimur in Vita, et Moribus Tuis; Mentem illam auream cælo parem, Sapientiam, Iustitiam, Religionem, et quæ vinculum omnium est, Pontificiam Charitatem. Saluberrima SANCTITATIS TVAE *consilia ad Christianæ Reipublicæ propagationem, & gloriam fortunet* DEVS.



ORATIO



VM magnum, quod vobis hoc tempore negotium imponitur, EMINENTISSIMI PRINCIPES, ſedula cogitatione peruoluo; diuerſas animum in partes, & Ordinis veſtri maieſtas, & procurationis pondus, & argumenti Dignitas vehementer impellunt. Video enim mihi, pro conſuetudine, inſtitutoque maiorum, de Summa Pontificis Maximi Dignitate, qua nihil in terris Auguſtius, nihil eſt Sanctius, eſſe dicendum; apud eos præcipuè, qui eximia Sapientia, & Diuini Spiritus præſentiſſima luce quidquid ſubijci poſſit auribus, animo ipſi conceptum, meditatumque iamdudum habent. Nunc igitur cum & Dignitatis in cauſa tantum ſit, quan-

tum poteſtas ampliſſima ex Vicario Diuinitatis munere poteſt afferre, & ad decernendum in vobis conſilij tantum, quantum Sapientiſſimorum iudicia Principum in maximis Chriſtianæ Reipublicæ negotijs apprimè verſata, afflataque coelitùs ſunt aſſequuta; in me autem nihil omninò facultatis, quod Conſpectus veſtri, quod argumenti magnitudinem, amplitudinemque perſequi audeat; facilè intelligo, quàm arduam, difficilemque mihi prouinciam impoſueritis. Faciam igitur in hac inſolita ratione dicendi, quod Sapientiæ, quod imperijs veſtris, meæque tenuitati conſentiat. Et quoniam per vos tanta hæc mihi cauſa oblata eſt, cum neque illam ſuſcipere minor audeam, neque veſtris debeam non obtemperare mandatis, ea in dicendo proponam, quæ mentibus veſtris iampridem inſita, præſtantiſsimis conſilijs, quæ inſignis Sapientia veſtra in grauiſsimo hoc negotio indubitanter pollicetur, fœlici pręſagitione pręludant.

Quæ res in Comitijs omni virtutis, & prudentiæ honeſtate commendatiſsimis animos acriter excitat, ea, quantùm cogitatione,

intelligentiaque abſoluta complectimini, inexplicabilis momenti deliberatio eſt, in qua de ſumma, ſupremaque Reipublicæ ſalute decernitur. Eligendus à vobis eſt magnus Eccleſiæ Sacerdos, Pontifex Summus, poteſtate Petrus, vnctione Chriſtus; cuius Imperium maximum, & laborioſum ſuper humerum eius, cuius auctoritas metuenda Inferis, veneranda Superis, vno minor eſt Deo. Præclarum eſt hoc, & ad veſtros animos excitandos maximè, atque inflammandos eximium; ſiue quod nihil illo ſublimius in terris, quem vos in Pontificiæ maieſtatis ſolio collocaturi eſtis; ſiue quod nemo non intelligit, in veſtrum omnium ſuffragijs, ac voluntatibus ſuffragia cœlitum, & arcanæ Diuinitatis Imperium contineri. Teſtatiſsimum omnibus planè eſt, in Vaticanis Purpuratorum Patrum Comitijs mirabili quadam, excelſaque molitione adeſſe Altiſsimi manum, quæ attingens à fine vſque ad finem fortiter, & ſuauiter cuncta diſponens, nutu; inſtinctuque admirabili, vota, ac ſtudia veſtra in eum Pontificem conſtituendum impellit, quem inſcrutabili Sapientiæ ſuæ lege, & incomprehen.

hen.

hensibili viarum suarũ iudicio destinauerit.

Quàm ingens autem in tam ardua re momentum superaddit Christianę Reipublicę luctuosa conditio? cuius salus,& dignitas ob immensam periculorum magnitudinem eum à vobis Pontificem expetit, cuius pręcipua virtute, sapientia salutari, auctoritate summa, assidua vigilantia omnes hostium impetus, omnes Inferorum conatus fœliciter comprimantur. Circumspicite, si libet, Patres Amplissimi, accurateque lustrate terrarum Orbem, hoc est vberrimam Pontificiæ sollicitudinis segetem. Quanta pars nascentis, occiduique Solis lumine circumfusa iacet in tenebris,& vmbra mortis? Quot, quantisque Ethnicorum incursibus, perduellium Hęreticorum, transfugarumque machinis, quantis errorum concussa turbinibus agitatur Ecclesia super hanc Petram ędificata? Videbitis, quem in tam graui germanę fidei, salutisque vniuersę discrimine deligere debeatis, qui vnus lethales hęresum fraudes in apertum conijciat, hostium tela retundat, scelerum pestem extinguat, & quod caput est, latentia in his omnibus inferni prędonis machinamen-

ta comminuat. Dum enim disiunctißimis in locis, longèque diuersis vno, vndequaque consilio, Catholicorum excidia anhelantes, Othomannicus furor, Hæreticorum versutia, & potestas tenebrarum immane Ecclesiæ bellum intendunt; eo potissimùm opus est, qui gladio nos salutis accingat, & è formidabili Diuinitatis armentario vnus ipse mille promat assiduè clypeos, & adamantinam fortium armaturam. Qui, Coelesti ope suffragante, Principum inter sese dimicantium dissidijs compositis, inflatoque Cæli classico, illos ad suscipiendam Religionis causam contra communem hostem, ad prçliandum cum virtute prælium Domini, Cœli Interpres inducat; vt & pace tandem, quam diù consentanea bonorum omnium vota deposcunt, & perenni incolumitate Ecclesia perfruatur.

Decernendũ igitur nunc est ab Amplißimo Cœtu Vestro, quis Christianæ Reipublicæ summum Imperium administrare, in Petri naui sedere, clauum gerere periculoso nauigationis in cursu debeat, vt maris in altitudinem veniens tempestatem non metuat; quis responsa Sacrorum, veritatis scita, & oracula

iubeat Religionis;& vocis,& vitæ Dignitate, humana in ſpecie Dei vices exhibeat. Nam &ſi animata Dei in terris imago ſunt Principes, Summorum tamen in ore Pontificum, magnum,multumque Diuinitatis inſtar,quin imò Diuinitatem ipſam latentem, loquentem ſpectat, & audit venerabundum genus humanum. Hoc enim Capite,hoc Ore,hac Lingua ad audiẽtem mundũ loquitur Deus. Quamobrem ex ea, quæ ſingulis Veſtrum, ineſt Sapientia, atq; eximio pietatis Zelo,talem profectò daturi eſtis Eccleſiæ Patrem, qualem intelligitis,Catholicę Fidei pręſidiũ, difficilem Chriſtianæ Reipublicæ ſtatum, Dignitatem demum Altiſsimi Vicariam Numinis poſtulare. Eum ſcilicet,qui Sanctitate morum, conſiliorum Prudentia, Charitatis ſtudio conſpicuus,quantò cœteris omnibus Dignitate, tantò Virtutibus antecellat. Abſoluta certè numeris omnibus Virtutum complexione pollebit ille, quem animi veſtri prudentia,efficaci Diuini Spiritus afflatu impulſa,tanquam lucem in auguſtiſsimo culmine Solij Vaticani conſtituet, vt omnibus,qui in Domo Dei ſunt,ad exemplum Sanctitatis

elu-

eluceat. Cęlitum profectò hæc vna mens est, atque sententia; quorum indulgentissima opportunitate factum censeo, vt qua luce fœlicissima Principis Apostolorum Maiestatis, in Vrbe Gentium Regina fundatæ, positæque Sedis Memoria recolitur, eàdem Vos ad deligendum eum, qui Petri obtineat in Imperio Locum, Pōtificia Comitia ingrediamini. O fortunata per Vos Christianæ Reipublicę tempora, quę Pontificem spectabunt, qui in summa potestate, nihil amplius velit sibi licere, quàm alijs; In quo non tam gloria potestatis, quàm moderatio celebretur; cuius paterna Charitas, atq; insignis Prudentia nihil sibi proponat antiquius, quàm omnia summa ratione ducere, rerum Diuinarum gloriæ impensè consulere, offensionum vitare pericula, perpetua negociorum mole omnium se commodis impendere, æmulari solem, qui statim accepta luce, se in orbem cępit rotare, perniciq; cursu cūctas mūdi plagas illuminaturus euolauit; ex altisimo demum Vaticani Solio Regna, Nationes, Imperia, pro rerum, personarum, ac temporum varietate, Diuinęq; Charitatis lege dirigere, ac tēperare.

Quę

Quæ cum ita vobis perſpicua ſint, EMINENTISSIMI PRINCIPES; eaq; meliùs impreſſa animo, quàm auribus inſinuata; per ſummam Dignitatem, quam geritis, per immenſę pietatis magnitudinem, qua polletis, per eum, cuius huc in nomine conueniſtis, poſtulat à Vobis ſpecioſiſsima Chriſti Sponſa, & amantiſsima Mater Eccleſia, vt (quandoquidem è veſtro pendet conſilio) humanis affectibus ſepositis, ac Diuina dumtaxat prę oculis obiecta Gloria, quā primùm licuerit, eum Pontificis Maximi delectum ſtatuatis, quem totius Orbis plauſus, quem Ecclesiæ commoda, &, (quę cumulatiſsima optimi consilij commendatio eſt) lætitia Cœlitum conſequatur.

